Namque memor generis Cartaginis impia proles
Imminet Hesperie. multusque in pectore vano est
Annibal. obliquo maculat qui sanguine regnum.
Et numidas contingit auos. iam supplice Varo
Intumuit. viditque loco romana secunda.
Quare agite eoum comites properemus in orbem. al' igitur ē
Diuidit Eufrates ingentem gurgite mundum
Caspiaque immensos seducunt claustra recessus.
Et polus assyrias alter noctesque diesque
Vertit. et abruptum est nostro mare discolor unda
Occeanusque suus. regnandi sola uoluptas.
Celsior in campis sonipes. et fortior arcus.
Nec puer aut senior letalis tendere neruos.
Segnis. et a nulla mors est incerta sagitta.
Primi pelleas arcu fregere sarissas.
Bactraque sedem medorum. murisque superbam
Assirias babilona domos. nec pila timent
Nostra nimis parthi. audentque in bella uenire.
Experti scythicas crasso pereunte pharetras ł [illegible]
Spicula nec solo spargunt fidentia ferro.
Stridula sed multo saturantur tela ueneno. al' prima
Vulnera parua nocent. fatumque in sanguine summo
O utinam non tanta michi fiducia seuis
Esset in arsacidis. fatis nimis emula nostris
Fata mouent medos. multumque in gente deorum est.
Effundam populos alia tellure reuulsos.
Excitosque suis immittam sedibus ortus.
Quod si nos eoa fides et barbara fallunt
Fetera. uulgata supra comertia mundi
Naufragium fortuna ferat. non regna precabor
Que feci. sed magna feram solatia mortis
Orbe iacens alio. nichil h' in membra cruente ł cruentum
Nil socerum fecisse pie sed cuncta reuolues
Vite fata mee. semper uenerabilis illa
Orbis parte fui. quantus meotida supra.
Quantus apud tanaim. toto conspectus in ortu.
Quas magis in terras nomen felicibus actis
Nomen abit. aut unde redit maiore triumpho.
Roma faue ceptis. quod enim tibi letius unquam
Prestiterint superi. quam si ciuilia partho
Milite bella geras. tantam consumere gentem
Et nostris miscere malis. cum cesaris arma
Concurrent medis. aut me fortuna necesse est.

Biblioteca Apostolica Vaticana, *Vat. lat.* 11559, f. 68*v*